PROLEGOMENA

IN

DIALOGUM DE ORATORIBUS CLARIS QUI TACITO VULGO ADSCRIBITUR.

QUAE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AUCTORITATE
IN UNIVRRSITATE VIADRINA VRATISLAVIENSI
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
OBTINENDOS

DIE IX. JUNII MDCCCXIX.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

JOANNES FRIDERICUS KLOSSMANN
GLACENSIS
SEMINARII THEOLOGICI ET PHILOLOGICI SODALIS.

VRATISLAVIAE

TYPIS KUPFERIANIS.

Dialogus *de oratoribus claris*, seu, ut mira diversitate, cum de consilio libri definiendo olim laborasse videantur, in Mss. Vatic. *de oratoribus*, e Puteolano et Beroaldo: *an sui saeculi oratores antiquioribus et quare concedant*, et apud recentiores, Lipsii viri magni auctoritate *de caussis corruptae eloquentiae*, minus accurate inscribitur: celebritatis nomen quoddam habet a viris criticis, qui in solvenda de auctore libri proposita quaestione, in partes Taciti, scriptoris sapientissimi et gravissimi sententiis suis fide adjuti Codicum discedunt. Et omnino tantae circumferuntur libri laudes, tantam judicii maturitatem auctori videmus adtribui, eam ei adsignari gravitatem, ingenium et intelligentiam, talem ejus probari jucunditatem in scribendo et orationis florem, copiam et varietatem, qualem omnino auctoris melioris notae jure existimaveris propriam. Sed dum viri docti solis fere in laudibus consistunt, cum antiquitatis desiderium et studium, saeculi acerbam vituperationem et fastidium, atque summam illam quam Taciti statuunt indignationem aut omnino hominis sapientissimi, aut ejusdem esse animi magni et ingenii unius existimarint, nitorem vero et colores orationis, senectute admota, in concisum et severum abiisse Historiarum et Annalium dicendi genus: accurata inspectio libelli et argumenti, ut mihi quidem videtur, nondum subiit. Nam me, relicta ea materia, quum iterata lectione quaestionem de caussis fractae eloquentiae propositam cum ratione dialogi atque forma ingenii et animi disputantium comparassem, argumentique gravitatem in naturam seculi cognoscendam perpendissem: multa sane, colore et specie descriptionum ad simplicitatem

cogitationis redactâ, offendebant, quae non solum a grandi Taciti ingenio plane aliena, et sapientia et arte indigna existimarem, sed mediocris tantum hominis, scholastici et rhetoris, praeceptorum veterum copiam recoquentis, imitationis exemplum propondituri. Qua quidem differentia satis magna illa studiorum et ingenii in universum demonstrata, meo quidem judicio non opus erit, ut, quae via hac potissimum in caussa, ubi discrepantia totum complectitur genus, lubrica admodum est et incerta, singula singulis conjungendo, et opponendo rem meam studeam assequi.

§. I.

De tempore Dialogi scripti.

Tempus, quo Dialogus scriptus fuerit et editus, quamquam Viri docti disserere nondum ausi, habiti tantum sermonis tempori constituendo acquiescunt, *) accuratius debet definiri, et potest facilius, ut mihi quidem videtur. Nam primum cum Aper et Julius Secundus, e disertis fere verbis auctoris diem obiisse videntur, **) tum Julius quidem Secundus, teste Quinctiliano, ***) immatura morte, certe ante necem Domitiani, ereptus erat. Maternum deinde et Messalam jam mortuos esse, ratione admonemur et consilio libelli evulgati. Nam auctor cupidus virorum disertissimorum, et litterarum, quas colebant, studiosissimus, certe neque ea, quae intra parietes, amico acta consessu, et ab animis inflammatis atque de republica exacerbatis, familiari tantum jactata erant sermone et effusa, ad librum componendum maligne velut furari unquam fuisset ausus, neque, cum hominis mortui commemoratio aut laudaudi aut defen-

*) Cap. XVII. dicit Aper: Ac sextam jam felicis hujus principatus stationem, qua Vespasianus rempubl. fovet etc.

**) Cap. II. Celeberrima tum ingenia fori, etc. Nam et Secundo purus et pressus et in quantum satis erat, profluens sermo non defuit. etc.

***) Instit. Orat. X. c. I. n. 120.

dendi in scriptorem tantum convertere possit invidiam, vivo etiam amico, qui ob nimiam olim linguae procacitatem potentium animos offensos sibi reddidisset, novam temere contrahere invidiam. Quis omnino praesentium exemplorum, dum privati esse volunt, dum is, qui librum accipit, ipsos eos adire possit, vitam, mores et formam animi et ingenii, a longo quodam repetens tempore publico nisi gravior efflagitat opportunitas exposuerit judicio? Sed extat etiam locus, qui ad mortem Materni, quae teste Dione Cassio *) crudelitate Domitiani accidit, velut digito intendere videtur. Nam cap. XIII. dicit Maternus: „nec incertus futuri, testamentnm pro pignore scri„bam, nec plus habeam, quam quod possim cui velim relinquere, „*quandocunque fatalis et meus dies eveniet*, statuarque tumulo, non „moestus et atrox, sed hilaris et coronatus, nec pro memoria mei nec consulat quisquam, nec roget,“ Verum tempore Vespasiani, quo dialogus est habitus, cum nemo unquam cogeretur, **) ut poeticis curis et cogitationibus animum a rebus publicis avocando cruentam effugeret suspicionem: verba illa, fortiter sane expressa, et ab auctore solo profecta, ad Domitianum spectant, hominem virtutibus et omni publicorum meritorum generi infensum. Ab odio enim minus sibi poterat temperare auctor, ut non ad crudelissima quaeque, quae orator unquam fuerit expertus, in rem suam alluderet. Nam cum caram viri dissertissimi excitet memoriam, finemque poeseos, cujus de praestantia disputatum erat, securitatem constituat et tranquillum usum vitae, qui sollicitudine interruptus, forensi molestia et cura rerum publicarum ad mortem ducat, et ad anxietatem honorandae memoriae: eo majore pondere demonstrationis Justo Fabio, singularem illam ipso tristissimo exemplo probatam sententiam, de humilitate eloquentiae, artis quasi sanguinantis, et magnitudine poetici studii, et divini et securi, persuadere potest. Neque minorem

---

*) 67, 12. *Μάτερνον δὲ σοφιςὴν, ὅτι κατὰ τυράννων ἔιπέ τι ἀσκῶν, ἀπέκτεινε.*

**) Sueton Vespas. Cap. 13. Cap. 15.

tum habent vim, quae Messala, praeceptis veterum, suo tempore incognitis et inauditis, magno spiritu et multa commendatione repetitis, de oblivione moris antiqui, de desidia juventutis, de inscientia praecipientium, de omnibus honestis studiis amissis disserit *); tum magnum oritur momentum orationi Materni, quae incitata et vibrans, de libertate et loquendi et concertandi et jure potentissimum quemque vexandi ademto, queritur. **) — Sed non longe post necem Materni *scriptum* fuisse Dialogum, docere videtur non solum odium auctoris, a Materno in juventute exceptum et recens, et, ubi crudelitatis recordatio acerbissima esset, in omnes partes libri aequabili effusum vehementia, sed etiam cum Aprum et Julium Secundum, jam dudum mortuos, haud ita adhuc notos, accuratius describat, simplex illa commemoratio Messalae et Vibii Crispi et Eprii Marcelli, et imprimis Materni illius ***) qui, tempore Vespasiani Catone accuratius recitato nunc materiam praebet libri conscribendi. Quae exempla nota satis videntur, non altius describenda. Et sane ab auctore, cum vita et mores disputantium sententiis per totum libellum multum addant momentum, priusquam memoria eorum et temporum evanuisset, commode afferri poterant, ut Justo Fabio, omnibusque iis quorum in manus liber erat venturus, essent graviora. Quanquam ob finem dialogi, qui, quae antea acerbe dicta erant, Cap. XLI. mitigat, *editionem* libri, tempore Domitiani periculosam, Nervae fortasse seu primis Trajani annis, paratam esse, nullo modo repugno.

§. II.

De argumento et consilio libri.

In quatuor partes ita dissecatum totum argumentum est, ut a

*) Vespasianus ingenia et artes fovit. Sueton Vesp. XVIII.

**) cf. Tacit. Agricol. C. II. III.

***) Cap. II. non legendum est Curiatius Maternus, sed vetus lectio: accuratius retinenda. Farnes. Cod. per totum libellum minor est fides.

Cap. I—XIII. praestantia poeseos contra eloquentiam evincatur, deinde usque ad Cap. XXVII antiquae eloquentiae gloria contra malignos confirmetur; tum usque ad Cap. XXXV. institutio oratoris eflormanda et corroboranda, e praeceptis veterum circa educationem et exercitationes forenses repraesentetur, postremo valetudo eloquentiae e licentia reipublicae laudetur. — Quae partes, ut moveam, quod nemo fere accurate sensisse videtur, non sunt inter se aptae et connexae, non omnes, argumentationum et sententiarum nervis vinctis ad unum et accuratum conspirare videntur demonstrationis exitum, neque vim et gravitatem argumentorum explanare arte collocationis, sed abruptae, temere arreptae, longius repetitae et tractae, consilium explicatione implicare, turbare, occultare. Nam mirum est, auctorem, ipsa quaestione cur recentiores, cum prima oratorum secula ingeniis gloriaque effloruerint, optimam eloquentiae speciem non habeant, ingeniorum antiquorum gloria concessa, tamen, disputatiuncula de praestantia *poeseos*, a materia abhorrente et fere contraria, praemissa, majorem explere partem dialogi quaestione, an sit veterum eloquentia praeferenda. Quae quaestio, a sola contradicendi cupiditate derivata certo judicii cancello non circumscribitur, ipsis disputantibus inanis visa. Neque minus offendit, auctorem, cum fractae eloquentiae caussas, prudenti ut exspectaveris, temporum existimatione, enarrandas sibi proposuerit, omnino, quid ad perfectissimum oratorem, mente sola inchoandum et definiendum, requiratur, expedire, munerique antiquarii satisfacientem, totum esse in laudanda antiquitate et perstringendis, non explicandis vitiis temporis sui. Sed tota fere disputatio inanis videatur et inutilis, quia non docte et accurate rei summam scientia comprehendit et cogitatione, sed dum nomine capit virorum disertissimorum, angustiis confabulationis domesticae non superatis, studia aetatis judicanda animo eorum subjicit, qui subita quadam contentione excitati, voluntate ducti, affectu praesenti huc illuc agitantur. — Sed nexus partium componi potest, atque hinc consilium auctoris elucebit. Nam venit Aper, advocatus ad Maternum. Quem, cum *Catone*, antiquo tragoedia argumento, accuratius quondam recitato, tanquam sui oblitus,

Catonis gravem egisset personam animos potentium offenderit, adhortatur amice, ne consilio tam miro periculosi et lubrici ineundi itineris, omne tempus majoribus muneris officiis destinandum, fictis perdat controversiis. Igitur dum solam spectat familiaritatem, prudenterque amicum monere voluit a poetica rebus in publicis gerendis licentia, aberrantemque revocare ad studia solita, quae largiore ingenii ejus quod ad solam ferat eloquentiam exercendi famaeque conciliandae materia exposita, non sine damno omiserit: totius poeseos dignitatem neque vult diminuere, neque scholastica contentione fabulas conserere et theses. Sed statim Maternus ad universi generis quaestionem a re propria, docta de praestantia eloquentiae et poeseos disputatione, ut judicii gravitate lis illa dirimatur, mota transit. Quam quaestionem Aper, pro sua parte, cum vehementior, inops prudentiae disputandi, cupiditate refellendi ductus, litteras negligens, invitus fere quos contemnere vult antiquos exprimens fingatur, ita quidem excipit, ut *Ciceronis verba* circumscribens *) omnem artis dignitatem, ad commoda vitae, ad securitatem, opes, leviorumque jucunditates affectuum restringat, quibus advocatus dum solus in coetu hominum stat, afficiatur. Sed mira confusione ita labitur Aper et consilium suum ipse perdit, ut poesi, non minus indocte sane, pro operario, solius recitatoris incommodis enarratis vexanda, Maternum cum revocare voluerit: sub finem orationis poeseos artem postponendam eloquentiae non esse existimet, atque, quod judicio primum eligendum videbatur, ad arbitrium ingenii detrudat. Tum Maternus eo illustrior quo magis Aper sese ipse implicat, contra defensionem sordis ubivis praesentis, atque scelestis exemplis, Eprii Marcelli et Vibii Crispi confirmatam, laeta *Virgilii* decerpens verba, sanctitatem poeseos ex ipsis artis penetralibus, suo animi judicio, suis affectibus, extollere potest, quae Deorum consuetudinem hominibus deferat, ad Olympias epulas invitet, majorem famam conciliet, maximam quietem et securitatem adferat. — Et vo-

*) De Orat I. 8.

luit fortasse auctor mente Materni, in quo species quaedam boni et honesti studii insidet, perfectum aliquid nobis et excellens, cujus ad cogitatam speciem referendum omne esset studium, repraesentare, animumque lectoris ad divinitatem quandam dirigere, quae remota ab usu vulgari, exercitationis et consuetudinis mediocritate, lumen addat poesi, quo eloquentiae studium apud aequales privatum videatur. Sed quamnam ob caussam haec disputatio sit instituta, quomodo hoc membrum cum toto cohaereat corpore, haud ita statim patet. — Nam auctor imitatus est Ciceronem, ut doctum quoddam meditatus consilium, rationem artis omnino bono ponere in lumine existimari possit. Nam sicut Antonius more philosophorum *) consuetudine refellendi utebatur, et omnino, ut probabilior videretur oratio, non didicisse haberi volebat, ita quidem Aper, cum **) eruditione imbutus, litteras contemnebat. Vult fortasse ea forma auctor, exemplo Antonii et Crassi, ut summo praecepto explicato, diversisque rationibus confirmato, ipsa deinde saeculi fracta vis possit cognosci, demonstrare, *doctrinae elegantiam* nullo modo ab eloquentia esse segregandam. Et eam argumentationem auctoris Maternus adjuvare ita existimari possit, ut, cum in maximis occupationibus studia doctrinae, Catone, iniquis temporibus absolvendo, non intermittat, Ciceronis instar, ***) qui hortatu Bruti Catonem, cujus virtus inimica tempori fuit, docto confecit consilio, a libro exceptum, cujus caput doctrinae commendatio est in arte oratoria: litterarum excolendarum necessitatem in eloquentia demonstret. Sed mirum in modum eloquentia ipsa illa, cujus vis deinde magnis effertur laudibus, plane dejicitur ac funditur. Vel praeparavit auctor differentiae inter *judicium et ingenium*, quam initio statuit explicationem. Sed, quamquam de judicio et de ingenii

2

*) De Oratore Lib. I. 62.

**) Ita legendum; Lipsii emendatio communi sensum turbat.

***) Orator 10.

quodam dixit cursu ad artis cujusdam occupationem eligendam, mens tamen auctoris, qua totum illud comprehendi debebat, obscuratur filo orationis, Messalae adventu, interrupto. Unde videtur tanquam citharoedus prooemium aliquod affixisse, in quo non de ratione artium docte explicanda, sed de forma quadam animi et voluntate disputantium ornanda sermo est. Nam Aper totus est in advocationibus et caussarum minorum tunc temporis tractandis negotiis, quae nomine eloquentiae ornat et defendit. Maternus quotidiana forensi barbaria defessus, cum nil habeat, quo animum relaxet, ad tranquillitatem animi, ex molestiis, ad antiquas imagines exprimendas a caussarum tum sordibus recurrit, vitam acturus Musarum in consuetudine sanctiorem. Hinc certamen non de ipsa arte, sed de ratione vitae, non de summa eloquentiae seu poeseos accurate definienda, sed de iniquitate aetatis effugienda, igitur de praestantia antiquitatis. Qua in re confirmamur ratione Dialogi. Aper enim ab ipsis antiquis mutuatus est artem per quam ipsos incesseret; deinde prudenti exhortatione, ut Maternus fictas abjiciat controversias, novorum oratorum patronus caussa cadit, sed Catonis virtus, Catonis tragoediae offensio et confectio illustri ponitur in lumine. Petit Aper omnem confirmationem e suo tempore; Maternus, doctrina instructus, ex veterum dictis et exemplis, scientiae imagine mente concepta; venit Messala, qui rationem studiorum Materni et Julii Secundi ad liberam animi oblectationem antiquorum in morem comparatam laudat, Aprum scholasticum vituperat. Unde ex auditoriis rhetoricis, *in antiquitatis gloriam*, quaestionem movet, neminem esse oratorem perfectum hoc tempore. Nova oritur disputatio, in quam personae illa notae transferuntur ad quaestionem absolvendam, cur veteres tantum eloquentiae nomine sint digni. Sed Aper vehementior, *non intelligens esse locum de arte infinitum et communem*, cum saeculum suum omnium conspiratione damnari non patiatur, ad antiquorum auxilium iterum refugiens, defensionem parat e loco artis satis tractato. Nam omnis eloquentia consistit *in ornatu*, estque ille excellens orator, qui cum avocet controversiam a propriis personis et temporibus, traducat ad universi generis orationem, ut de

omnibus rebus possit dicere, locisque communibus silvam sibi aperiat, et copiam omnem illustrandi humanitatem. Quam si apte ad persuadendum potest collocare, et suavitate prosequi, et si flectendo et incitando admirationem conciliat, magnique judicii et facultatis lumina edit in moderanda pro statu rerum data varietate, tum dignus est nomine oratoris. Quo loco instructus Aper suam aetatem, cum apud ipsos veteres plures deprehendas species et voluntates dicendi,*) sua etiam uti electione et arte compositionis illa prudentiore, ornatumque appetere existimat, longe remotum ab horrida et impolita antiquitate, diversa quippe aurium et temporum orta forma. Quod quidem quam graviter sit adjectum, in oratorum Atticorum, qui clarissimi habebantur, laudibus videmus, qui cum probare vellent ad voluntatem eorum qui audiebant, intuebantur, totosque se ad prudentiam et arbitrium populi, cujus judicium tum quidem incorruptum erat et sincerum, fingebant et accomodabant.**) Verum haec argumenta infirma habentur, quanquam ab adversario ad ea haud accurate respondetur. Nam primum certe ea ratione qua persona capit auctor non sine arte et consilio, cum hominem inducat antiquos vexantem et irridentem, ipsis antiquis consulit, quia Aper nominis ***) mota controversia, partim gloriam antiquorum suo seculo rapere studet, partim majores Ciceronis, quorum eloquentia nascens, horrida et incomtior ****) repraesentatur, cum aequalibus confundit. *Quamquam multa, ut infra videbimus, expendenda videntur.* Deinde non magis probat locus ille de mutatione temporum, moderatrice oratoris, cum in omnes aetates et conatus dicendi valeat, et Asiaticorum inflatum et tumidum genus, Atheniensium sanam et incorruptam rationem. Cariamque et Phrygicam adipatam et opimam orationem probet. Quae quanquam di-

*) de Or. II, 22, 23.

**) Orat. 8.

***) Cap. XVI.

****) Brut. 17.

versae sunt species, tamen uniformi laudatione non possunt statim comprehendi. Egit Aper caussam suam spinosam. Sed Messala locum eum, quem Aper attigit, excipiens,*) cum illa quae de victoria haud sollicita est animi tranquillitate, uti Demosthenis aetatem ob voluntatis atque judicii similitudinem omnium consensu probari, ita quidem Ciceronis; cui sententiae universae haud ita potest repugnari, nisi a summa malignitate. Plerosque deinde contendit oratores novos colorem fuco mentiri, Aprumque nullum fere sui seculi disertum antiquis nominatim posse opponere. Itaque ubi vis antiquitatis venerabilis adeo faecem quandam contemtui subjiciendam exagitat, Messala tota sibi videtur caussa stare. Nunc laudat veteres; sed cum disputatio longius sit protracta, quoniam de gloria antiquorum nulla esse possit controversia, admonetur a Materno ne ab instituto evagetur, sed differentiae caussas explicet. Mutat hinc antiquarius formam, et effundit doctrinae suae copiam, non e rhetorum tum officinis petitam, sed veterem et obscuram. Describit educationis severitatem, et bonos mores apud antiquos, exercitationes forenses juvenum scholasticorum impudentia expulsa, irridet inanes et pueriles declamatorum controversias. Nunc lacuna Cap. XXXV, incidit, haud ita magna ut videtur. Sed verba: *Magna eloquentia* etc. orationis esse Materni, et ratio et consilium dialogi docet. Explevit enim Messala antiquarius suam partem; superest, ut princeps dialogi, advocatus olim, laxiorem eloquentiae campum in contentionibus perpetuis, ambitione, splendore judiciorum et libertate dicendi summo applausu populi, eo spiritu et torrente qui acerbissimi est advocati et vehementissimi inimici explicet et laudet. Nam quae de beata suo tempore republica et optimis omnium studiis dicit, ab auctore addita, ne Nervae seu Trajani optimum imperium offenderet, quanquam acerbiore omnimodo colore, et simulatione majore dicta videntur.

Sed hisce expositis, restat, ut in unum quoddam comprehen-

*) de Orat. II, 23.

damus partes. Nam auctor Aprum, qui pugnax videtur, secum pugnans, eloquentiae artem curto operarii recentioris apparatu laudantem inducit, ut adversariorum sententiis majus inde veritatis nascatur pondus. Qui, certaminibus tum de optimo genere dicendi celebratis, quum studia quotidiana hominum de foro ad severitatem praeceptorum redigant, omnem emortuam esse eloquentiam statuunt. Ac Materni voluntas altior cum fatalis fuerit, tum, ut infelix reipublicae status, possit cognosci, qui est totius dialogi finis, laudatio et explicatio virtutum antiquitatis, eo majore affectus vehementia, quo tristior casus, quo propius adstat sordes, proponitur.

§. III.

Auctor est antiquarius, scholasticus, rhetoricam nobis officinam, in explicandis mutatae decursu temporum eloquentiae momentis aperiens. Nam primum oratio Apri de dignitate oratoria e Ciceronis quodam loco *) ita est petita, ut eandem fere formam et vim sententiarum, diverso tantum verborum de[illegible], quod neque casu neque similitudine ingenii accidere possit, retineat. Sed infeliciter adeo memoria universum magistri sensum impressit. Nam quod Cicero de vi admirabili illa dixit, qua solus omnium hominum voluntates impellere, mentem allicere, animum deducere possit orator perfectissimus ille, quem mentis solum videris oculis: Aper iste cujuvis antistitis barbariae forensis propriam existimet supellectilem; quasi quod in genere excelleat universo abusum simul penetret et abjectam partem. Nam a vulgo tum orantium nil ardentius quaerebatur, nil magnificentius habebatur, quam persuasione confirmari se meros esse Cicerones et antiquos; **) inde, in quo facultatis oratoriae gloriam et approbationem ponebant, specioso frui applausu populari, magno

*) de Oratore I. 8. cf. Brut. 84.

**) cf. Dialogus Cap. XXVI.

circumfundi clamore, multa appeti concursatione. Ft satis fecit plebs, ubi gravitas cecidisset, facillime spectaculi desiderio. Deinde periculo offensionum, et criminationum iniquissimo illo temporum statu exposito, omnino ne res perderetur, lingua erat opus. Quam speciem et sudorem Aper angustioris eloquentiae studio adtribuens, suarum potissimum advocationum felicem usum, et illustrem vitae conditionem Vibii Crispi et Eprii Marcelli, hominum eloquentiae calumniosae sanguinantis ad summam artis formam transducere conatur, demonstrando, se ob eloquentiam, poesi a pulvere et oratoriorum lacertorum exercitatione abhorrente, tutum esse contra inimicos; deinde, dum poeta a nemore obscuretur, jucunditatibus oratorem frui ambitionis, venerationis, speciei in corona plebis, adeoque dictionis extemporalis, quando audacia bene processerit. Quae ornamenta et voluptates poetaè quidem esse non possunt, sed inde poesis non statim inferior. Nam argumentatio Apri fit vitiosa complexione, cum voluptates oratoris, ornatissime descriptas, incommodis recitatoris, admodum exaggeratis, praestantiores habendas proponat. Deinde certus ille forensis operae laudandae locus, absolvitur transductione vitiosa ad totum artis oratoriae genus. Cui enim quod mente comprehendendum est et cogitatione, non inhaeret caussidicorum et rabularum furor. Quae tamen dicta videntur ornatus caussa; quod oratoris est officium excellentis, ut a propriis rebus avocet controversiam. *) Hic vero locus communis a scholastico mentem mentiente verbis magistri, imprudenter adhibitus, delectu et copia verborum tantum illustris. Sed Aper ipse communem illum locum a propria ex qua promanare debebat re secernit. Nam eruditionem umbratilem quam a Cap. V—VII. effudit, prima laudationis stamina excipiunt, ex turba advocationum, quam ipse est expertus, desumta. Sic omnem, quam ad prosternendam poesin adhibuit, artem inconstanti argumentatione ipse perdit, ut poeseos studium postponendum non esse concludat, Maternumque, quasi laudatio elo-

*) Orator XIV.

quentiae infinita illa, certum ingenii neglecti locum spectaverit in eo vituperasse vult, quod ingenio invito poesi nomen det. Sic ars poeseos ei aut recitationis molestiis sine publica laude continetur, aut necessitate nemorum et solitudinis quaerendae. Alterum illud dandum ei, qui in omni arte operosam tantum taxat exercitationem; alterum, quod elegantius et pulchrius quam e nuda veritate dicitur, lectioni scholasticae poetarum. Sed quod Aprum premit, idem Maternum. Qui poetarum inprimis Virgilii tum admodum celebrati colores trahens, voluptate ficto in Deorum contubernio constituenda et opaca animi tranquillitate, quod poetarnm speciei sit proprium, intelligi quidem poetis possit. Sed studium oratorium, enarrata sola partium differentia, si poesis sua habet lumina suam figuram, non statim conclusione inferius determinatur, neque unquam comparatione ex dissimilitudine desumta possit infringi. Nam ut Aper egit, ita Maternus. Qui, cum voluptates poeticas quales mente subtilissime, nuda veritate mista et fabularum suavitate depingi possint, incommodis caussidicorum longius praeferendas existimet, poesi victoriam contorquet, totamque inde eloquentiam, ubi advocatorum abusus spectandus est, prosternere vult. Denique Aper et Maternus animi tantum voluntatem et suorum studiorum existimationem separatam quisque, vario tum rerum statu quo fastidiendo, aspernando, ornando et exaggerando, perpetuis rixis, dabatur locus, quanta possint ubertate rhetorica ad demonstrationem proferunt. Cujus vero disputationis partes, cum hianti commissura neque per se neque in totum dialogum nervum habeant demonstrandi, per trederim capita copioso verborum cursu tractas: ejus tantum habere oportet, qui numeris et orationibus *) magistrorum repetendis gloriolam assiduitatis scholasticae capere studet. — Sed in altera disputatione Aper omnem antiquorum gloriam prosternere conatur. Jam supra brevibus attigi, Apram commutabiles agere partes. Nam videtur eorum hominum sententium sequi qui in stomachum antiquariorum pugnantes

*) Ita legendum Cap. I, non: rationibus.

communi, eloquentiae conatus sua ratione et caussa comprehendendos ad summam artis formam redigere studebant et defendere. Hinc iis, qui nimia forsan in se inquirentes religione splendorem sententiarum abjicerent, lautum orationis apparatum exsiccarent, *) praecepta inculcat elocutionis id est studium ornatus, illustris dictionis et figurarum. Qua materia ut locum Messalae, quo sese implicari passus est, infinitum illum prosternat, alium contorquet locum de schola communem. Nam antiquitatem, cujus terminos subtiliter et ridicule fere longissime protrahit, ut dicto cuidam inniti possit classico, **) horridam constituit, ipsius Ciceronis aetatem et gloriam comitantem. Quae cum diversitate aurium et temporum, ne locum omittat de arte gravem, mutata nunc sit, aetati posteriori ornatus judicium relictum esse dicit, vitiis silentio obtectis atque proprietate ornatus non definita, nisi quod distinctione illa antiquitatis, suam aetatem ad gloriam Ciceronis proxime accedere existimat. Igitur Aper, quanquam non imprudenter antiquitatis incomtioris speciem exagitat, formam forensem dicendi temporibus adaptandam censet et priorem nutricem haud ita a posteriori dissecandum, cum loci infiniti propriam naturam aetatis non explicent, exercitationem umbratilem tantum excitat. Nam antiquarii illi, gloria antiquorum quam volunt ab Apro concessa, cum in usu quotidiano severitatem praeceptorum, quod omni quidem factum est tempore, neglectam videant, neminem concludunt nisi pugnandi cupidum veritatem theseos quam moverint posse abnuere. Itaque propriam temporum existimationem circumeuntes, et prudentia naturae aetatis et caussae explicandae supersedentes, cum locus ille infinitus stet, ad antiquitatis naturam, quasi communis ejus vita et consuetudo ingenii Ciceronis semper fuerit evolvendam ita transeunt ut praecepta artis ab antiquis data antiquitatem existiment. Nam Messala rhetorum ludos, e Ciceronis quodam loco ***) officinas impudentiae existimat,

*) Quod laus docere videtur, ab Apro Messalae Materno et Secundo tributa. Cap. XXIII.

**) Brutus 17. 85.

***) De Orat. III. 24.

claudendos, eloquentiam corrumpentes. Verum oblitus est, de latinis tum magistris sermonem esse Graecorum ingenium ridicule affectantibus, id est de abusu rei qua bene uti liceat. Deinde cum Cicerone rhetores, qui exercitationibus aridis suis vim eloquentiae, quae omnes res, virtutes, officia, omnem naturam, mores, animos et vitam tenet, ornatum admirabilem appetit, contineri sibi persuadent, recte irridet. Sed cum omni tempore sint irridendi, cum apud veteres, nota illa declamitandi et diligentia et commendatione, qua scientiae universae conjuncta bonus fieri possis orator, non sint expulsi, cum veterum plerique etiam verborum frequentia delectarentur a Crasso notata,*) cum inertia adolescentium in jure civili discendo non minor esset: **) scholasticum quidem audimus, quid in universum agendum, quid abjiciendum sit bene memoria tenentem. Sed caussam desideramus, cur rhetores antea non offecerint, nunc vero publicum illum statum quo eloquentia forensis effloruit, everterint? Eodem modo antiquarius iste obcoecatus in aestimanda antiquitate, ut accuratus rhetor loquitur de arte sua, qui cum se ad minora ut majoribus sit locus demittere non recuset, haud aliter ac si tradatur orator educandus et scholastica severitate instituendus studia format. Ita incipit a prima institutione pueri, qui dum nascitur, spei oratoris destinatur, circa quem nutrices et paedagogi et pater et mater et praeceptor et condiscipuli bonis moribus, eruditione, sermonis elegantia in domo servanda elaborent, ut a lusibus avocetur et ceteris occupationibus, quae molli oratoris animo formando officiant. ***) Hoc ad summum oratorem mente efformandum pertinere posse, nemo negabit; sed quando antiqui omnes meri fu-

*) De Orat. I. 33.

**) De Orat. I. 58.

***) Convenit auctor cum Quinctiliano, ut ex eadem disciplina natus, eum fere secutus videatur. Ille enim institutionem oratoris ita incipit mente tantum comprehendendi, iisdem fere utitur exemplis, eadem fere de morum pravitate dicit.

erint Gracchi? Qui educatione illa tamen non evasit summus orator. Quando apud veteres nemo ad equorum et gladiatorum studia pronus? Sed praeceptis illis observatis etsi concedi possit, oratorem bonum fieri, sermo tamen est de caussis cur eloquentiae praecepta olim ita servata, nunc vero amissa sint? Denique auctorem scholasticum esse, ut taceam de singulis locutionibus illis et verbis, quae supellectilis sunt Ciceronis, docet inscriptio: De Oratoribus claris. Quem librum absolvit thesi, oratorem perfectissimum requiri adhuc. Quod est argumentum librorum rhetoricorum Ciceronis, et Bruti quidem, seu de oratoribus claris. Sic dispositio argumenti Ciceronis est: Aper Antonium imitans, Maternus Catonem iniquis temporibus cedentem; dissimilitudo ingenii et contentio ad unum quoddam spectans, cf. de Orat. II. 29. Sic quod Messala omiserit, relictum sibi putant caeteri, Dialog. XVI. cf. de Oratorib. II. 29. Aper risum tenere non potest, antiquos legens, Dial. XXI. Brut. 85. Sic Messalae sententiae antiquitatem redolent, non rhetorico modo dictae Cap. XXXII. cf. Orat. 3. — Postremo abrupte et sine judicio rhetoricas distinctiones adhibuisse Dialogi et rationi temporum explicandae, doceant haec.

Nam primum quaestio ipsa non ad totum spectat dialogum, siquidem, quae de declamatoribus et rhetorum aridis praeceptis dicuntur, minime cadunt in advocatos, qui magnificentius eloquentiae munus et eruditionem liberam in instrumentum litigiosum et horridum commutasse existimari possint. Deinde non puto acuta illa distinctione oratorum et disertorum, qui advocati et patroni nominarentur, eloquentiae diminutionem satis definitam esse. Nam primum nimium dat antiquis, nomine oratorum eos appellando, cum singulis aetatibus vix unus exstiterit, oratoris nomine dignus et qui in omni genere humanitatis et sermonis sit perfectus. Et non mirum est nomine illustriore aetatem illam signari, cum de virtutibus accuratius constet, faciliusque de exemplis absolutis judicari possit quam de studiis aequalium non semper maturis et cognitis. Dein-

de, si antiqui fuerint oratores, tum illam elocutionis partem exercebant, quae ornatu et magnifica amplificatione continetur; et *diserti* aetatis recentioris perspicue tantum et probabiliter dicebant, acute et dilucide ex communi opinione ea quae oporteret, prudentia tantum et mediocritate sermonis. Quae tamen longe abest a vitiis declamatorum et exilitate quam in dialogo ipso auctor aequalibus tribuit. Deinde miremur sane, cur advocatos, qui a diligentia in jure suggerendo, et patronos, qui in cognoscendis et componendis caussis versabantur, praesto erant amicis et clientibus, *disertos*, significatione illa quam primo spectavit, nominet. Nam discernebatur officium caussae suscipiendae a facultatae oratoria, ut in principibus patronis is posset numerari, qui neque a doctrina instructus, neque a natura, laborem tantum et industriam, curam et gratiam adhiberet;*) rursus optimus orator, e caussarum suscipiendarum assiduitate patronus posset nominari. Multo minus haec appellatio eloquentiam a fastigio lapsam denotat. Nam si omnis ars in jure commodando et voluntate proferenda versatur, si nemo materiam altius exaggerare potest, amplificare et ornare ingenio, si nullae sunt sententiae, flores, lumina, sed ossa et macies, quomodo orator talis vitiosus simpliciter advocati et patroni nomine comprehendi potest? Aut, cum scribendo magis inflexa esset oratio, et mollitie uteretur et nitore, inflammandi illa in foro et excitandi vi extincta fere, quatenus quaeso advocatorum et patronorum appellatione rem illam possis complecti? Omnino vero false et nimia vehementia et proprio affectu aetatem vituperare, patet ex Quinctiliano, qui multa sui temporis ingenia fori laudat, ex Plinio et ex ipso Tacito.**) Postremo in caussa mutationis elicienda eodem instrumento

*) Ut Crassus. Brut. 66.

**) Cf. Quinct. X. I, 122. et adnot.

rhetorico utitur. Nam dicit aut *de ingenio* aut de *judicio* male existimandum esse. Primum discrimen hoc vitiosum. Nam ingenio deesse quidem potest judicium; hoc vero, quo copia excogitata prudenter uti, et omnia quae causae sint propria, seligere debeas, sine ingenio subsistere non potest, quod invenit, quod ubertatem illam profert. Deinde cum eloquentia ingenio et judicio contineatur, verum quidem est, neminem sine natura et arte fieri posse eloquentem. Sed si eloquentia frangitur, id est si cursus ingenii irretitur, tum, cum se ipsum non retineat, caussa mutationis quam patitur, aliunde est petenda. Postremo auctor sui plane est oblitus. Nam in prima disputatione de praestantia poeseos in quaestionem nil efficitur, ut jam vidimus. Et in altera disputatione, quamquam Aper judicio mutationem adlatam esse putat, cum caussa sua cadat, atque Messala formam eloquentiae veteris amissam describat, certius constitui non potest. Ita Maternus iniquitatem temporum haud mutandam, neque utrum ingenio an judicio adlata sit explicatam, accusat.

§. IV.

De auctore libelli.

De Quinctiliano quanquam plurima occurrunt, quae ingenium ejus et judicium, sensus et rationem scribendi referunt, tamen fit, quia auctor, utpote rhetor, simili institutione utebatur, iisdem fontibus. Ac tota res confecta judicari potest argumentis quae Schulzius in Prolegg. attulit, et Spaldingius in animadv. Quinct. inprimis cum tempus nullo modo in Quinctilianum quadret, Lipsioque tantum haec sententia inter scribendum exciderit.

Ac de Tacito quidem, Codicum auctoritas et ignobilis quidam Grammaticus medii aevi, Pomponius Sabinus qui in carmen de obi-

tu Maecenatis locum ex hoc dialogo Taciti nomine adfert, rem conficere non possunt, nisi graviora ex indole et natura libelli desumta argumenta confirmant. Sed genus dicendi, in quo omnes consentiunt, plane alienum est a Tacito, neque unquam eam differentiam inter adstrictum et severum dicendi genus, atque nitorem et profluentem sermonem atque rotundam illam constructionem aetate excusari, neque cum totus color dicendi alienus sit, singulis locutionibus collectis illis quae complures haud ita soli Tacito sed saeculo sunt adscribendae, certi quid constitui posse, equidem persuasum habeo. Nam primum, quanquam auctor juvenis admodum dialogo intererat, tamen *Domitiani tempore, quo dialogus est scriptus,* Tacitus qui ad consilium historiae conscribendae, ingenio multarum artium studio corroborato et polito, non subite accessit, firmo suo utebatur genere dicendi, ut Agricola docet, neque unquam ad dialogum ornandum, ut ad orationes et numeros praeceptorum, forum et judicia colentium, et dictionis forensis illius uberrimae confugeret, opus habebat. Deinde quomodo Taciti animum et judicium, cum graviter vitia temporis carpat, virtutes illustret magnamque edat sapientiam in praescribendis rebus documentorumque exemplis illustri ponendis in monumento, Thucydide et Sallustio dignam, et magni studii, diligentiae singularis et ingentis ingenii: senectutis morositate adductum esse unquam cogitari potest et taedio rerum gerendarum? Quomodo genus dicendi rei plane proprium et perfectissimum, plenam subselliorum vocem non desiderans casu senectutis oboriri potuerit? Sed ipsa dialogi forma dicendi singulari studio comparata et ad suam perfectionem sublata. Hinc miraremur, eam rationem quae amplificationem illam oratoriam sapit et ubertatem et varietatem, quae unam eundemque sententiam varie jactat et exornat, quae ad propositum quod per partes et genera et species persecuta est semper redit, quae periodorum et circuitus verborum diligentissimum studium depromit, numerorum suavitate gaudet, ut paria paribus respondeant, aeque demensa cadant: tam celeri *formae animi et ingenii mutatione* in partes ejus abire potuisse, qui pres-

sus est sententiis, grandis verbis, et obscure et abdite dicit. Nam Commentario restat monstrandum in quantum auctor Ciceronis studium et imitationem extenderit. Una illa sufficiat verborum synonymorum conjunctio, constanter servata et anxie, utpote ingenii vestigiis magistri gloriantis. Illud monere postremo volui, pressum genus dicendi ab oratoria illa amplificatione omnino separatum esse, neque in laudibus oratorum numeratum. *) Ac certaminibus tunc temporis de optima specie dicendi celebratis, is, qui advocatus est, et praeceptorum oratoriae artis, quam ad forensem tantum restrinxit usum, non ad historiam, non ad philosophiam, imaginem delineat, et numeris atque orationibus Virorum disertissimorum de foro gaudet: longissime et in studiis et voluntate distat ab eo, qui severus, gravis, prudens rerum explicator in historiis bella narrat, oratorque non est numerandus.

Ac gravius quoddam premit auctorem. Est enim rhetor, antiquarius, qui, ubi de motu et voluntate aetatis dijudicanda et e suis rationibus explicanda est sermo, e rhetorum praeceptis quid ad optimum statum efformandum requiratur, colligit. Unde in taxandis aetatibus, quae illustrior sit, quae humilior, perspici possit. Sed eloquentia suos habet motus. Nam quovis tempore cohaerent sapientia et oratio, institutio et facultas, disciplina et ars, ratio et usus, caussae splendor et majestas verborum. Sed si tempore quodam exercitationes fictae vastum olim eloquentiae ambitum continent, propriae sunt in tempore caussae, quibus omnis eloquentia et usus rhetoricus determinatur; neque rhetores accusandi. Si valentiora illa olim latera, si inflammatio orationis, in molle abit et sedatum genus dicendi, verbis instructum non popularibus, non invidum, non atrox, non astutum: tum mutatam quidem videmus eloquen-

*) Brut. 13. Brevitas laus est interdum in aliqua parte dicendi, in universa eloquentia laudem non habet. cf Orat. 8.

tiam. Sed aculei illi forenses et nervi tum minus apti, neque tam vehementer licentia reipublicae veteris expetenda, neque eorum qui illo utuntur genere, accidit culpa, ut affectus populi incitare et augere in turba fori non possint. Si forenses exercitationes ita sunt comparatae, ut effrenati populi licentiae, iracundiae, odio, dolori, spei, quibus permotionibus judex plebs magis quam veritate regitur, orator favere non possit: tum omni sane tempore eloquentia turbulenta, quam Maternus furens advocatus vult, non erit, non seditiosa. Sed quaestio est, quomodo eloquentia illa, ad animos inflammandos apta, ad incitandas cupiditates et ad corrumpendum judicium, telum cruentum olim in judiciis et arbitrium amiserit. Quam quidem quaestionem neque rhetor explicare potuit, a sapientia Taciti longe distans, neque coecus antiquarius, nova fastidiens, vetustissima quaeque admirans, ab ingenio et voluntate Taciti plane alienus, recentium nullo modo incuriosi. *)

*) cf Agricola I. Annal. II. 88.